# CARMINA VOTIVA,
in Nuptias
VIRI EXIMII, PRÆSTANTISSIMI DOCTISSIMIQ;
# DN. JOACHIMI KUETZII,
In Scholâ Senatoriâ Stetinensi
Musicæ Moderatoris dignissimi,
*SPONSI,*
Et
CASTISSIMÆ PIISSIMÆQVE VIRGINIS,
# ANNÆ,
CLARISSIMI ET CELEBERRIMI
VIRI,
DN. M. HEINRICI KIELMANNI,
illustris Pædagogii Stetin. ConR. & Græcæ
lingvæ ac Poëſ. Profeſs. p.m. meritissimi,
FILIÆ,
*SPONSÆ,*
*XVIII. Calend. Jul. Anni cIɔ Iɔc LII.*
*Stetini celebrandas,*
à
Nonnullis Scholæ Senatoriæ, & qvidem
Classis superioris, Alumnis,
*Honoris & amoris ergo conscripta.*

STETINI,
Typis GEORGII GOETSCHII, Pædag. Reg. Typogr.

Eu redeunt sævos post imbres lumina Phœbi;
Sic mœror reddit, gaudia magna, gravis.
Nonnè suis oculis vidit PRÆCEPTOR utrumq;?
Ah! vidit verè tempore, crede, brevi.
Conjugis ob mortem dum mœstos ipse dolores
Hausit; nunc verò gaudia rursus init.
Ergo tristitiam lethæis obruat undis,
Lætitiâ & toto corde fruatur ovans.

CHRISTOPHORUS CLAUSIUS,
Lubenaviâ Lusatus.

---

*AMphion muros & grandia saxa canendo*
*Ducat: & immensum in pontum detrusus Arion*
*Dulcis delphinum moveat modulamine cantus,*
*Ejus ut insiliens dorso exponatur ad altas*
*Ripas: Threicius psallendo carmina Vates*
*Imum conciliet flammis Acheronta sonantem,*
*Eurydicenq; suam lethæo educat averno:*
*Te, pie SPONSE, juvat cantu mulcere puellam.*
*Laudo: & si perges, aderit, qvod uterq; probabit.*

Laurentius Lehmann, Colb. Pom.

---

PLaude Musarum veneranda turba!
Plaude præcellens Charitum sororum
Ternio! vos & reliqvæ venustæ
Plaudite Nymphæ!
Namq; jam noster meritò colendus
Cantor ornatam pietate verâ
Virginem curat sibi conjugali
fœdere jungi.

Hunc

Hunc diu servet columem Jehova.
Cum nova Nupta precor ore cordis,
Ut qveat lætus sobolem jugalis
Cernere lecti.

Matthæus Bolte, Rügenvv Pom.

---

*Plaudite multiplici Juvenes nunc plaudite voce,*
*Ordo Musarum qvos modò cunq; regit.*
*Plaudite Cantori nostro, post nubila Phœbus*
*Cui rediit tandem, jubila læta data.*
*Hic doluit graviter deserti fœdera lecti;*
*Hæc iterans rursum gaudia multa capit.*
*Ast felix nimium est, qvod ei Fabricator Olympi*
*Junxit amore, bonis ingenioq; parem.*
*Vivite vos longùm, vos ò concorditer annos*
*Vivite Nestoreos, & superate qvoq;.*

HEINRICUS JOHANNIS,
Pausâ Semgallus.

---

Nunc iterum fortuna favet TIBI, SPONSE, secunda,
Dum Consors vitæ, VIRGO MODESTA datur.
Gratulor ergò TIBI meritò de pectore toto,
Ac precor, ut faustum sit TIBI conjugium.
Det Deus omnipotens, vitæ qvæ postulat usus;
Et qvæ conjugium consolidare solent.

Joachimus Meincke/
Wism Megapol.

---

*Tempore, qvo svaves protrudunt semina flores,*
*floreat ut thalamus, Sponse, parare cupis.*

 Qvis

*Qvis taceat? qvis non lætâ nova gaudia mente*
*excipiat, svavi svavia voce canens?*
*Sidere dum læto hoc rubicundam carpere gestis*
*Stemmate de roseo, Sponse adamande, Rosam.*
*Gratulor, omniregens Dominus tua cœpta secundet,*
*decerpta ut vigeat tempus in omne Rosa.*

JOACHIMUS Geger / Anclam. P.

---

EUge nunc tædas celebrat secundas
KUTZIUS Cantor, nitor ipse Phœbi,
Et tori magnos parat ille honores
Cum KILEMANNA.
Qvæso, qvis Sponsis dubitet novellis
Mente nunc gratâ meritoq; more
Gratulari? absit procul hæc recusans
His Neonymphis.
Ast novis Sponsis ego gratulabor,
Ut Deus salvos regat atq; ducat,
Pax, amor constans, pietas salusq;
Cingat utrosq;.
Turbulentæ sed fugiant procul res,
Et torô proles numerosa surgat.
Firmet hoc votum Deus, atq; firmum
Fata probanto.

*Adamus Coltzius, Flatov. Pol.*

---

*COnjugis ut mœsto descripsi carmine mœstus*
*Morte, qvā lachrymis frangere nemo potest:*
*Sic nunc sacra tori socialia posterioris,*
*Vir pie, festivo carmine concelebro.*

*Vos*

*Vos ambos faciat Christus vidisse nepotes,*
*Dirigat atq; beet cœpta secunda, precor.*

JOACHIMUS Herbrecht/ Sed. P.

## JOACHIMUS, ANNA,

κατ' ἀναγ.

### HOC JUS ANNI, AMA.

NAturam qvicunq; ducem putat esse seqvendam,
Omne hunc næ punctum commeruisse fero.
Nunc est tempus idem, volucres cùm semina prolem
Parturæ jungunt se peramantq; simul.
Sic illas natura docet; nam tempora (ceu sunt
Autumnus vel hiems) illa patrare vetant.
Ver est jucundum, blandis & amoribus aptum:
HOC ANNI cùm sit JUS, simul ipsus AMA.
Sit felix thalamus, multâ sit prole beatus,
Prospera det qvævis, qvi regit astra, DEUS.

Georgius Modero, Stet. Pom.

*UT Ros irrorat terram delapsus Olympo,*
*Atq; madore suo cuncta virere facit:*
*Sic qvoq; Te madidet benedictio, Sponse, Jehovæ,*
*Ut vigeat dulcis, non sine prole, torus.*
*Incolumes AMBO vivatis tempora multa:*
*Hoc faxit, mundum qvi sine fine tenet.*

JACOBUS Strauch/ Sver. Pol.

AUreus ut splendet post tristia nubila Phœbus,
Et post mœrorem dat gaudia summus Iova:
Sic tu, dum sociæ luxisti fata prioris,

Gaudia jam captas, qvoniam tibi sponsa venusta
Jungitur, en! thalamo: qvod prosperet ipse Jehova.
Vivas Nestoreos annos, nec turbet Erinnys
Tædas, sistaris tandem cælestibus oris.

Paulus Sutorius, Medzyr. Pol.

---

*MUsica grata Polo; gratissima Musica cunctis*
*Terrigenis, toti & Musica grata Solo.*
*Istud perspicuè docet experientia, dum jam*
*Te Sponsæ gratum Musica grata facit.*
*Prosperet has tædas & cæpta sacrata Jehovah,*
*Adsit Eros vobis dulcis, at absit Eris.*
*Vivite felices, ac læti psallite semper,*
*Et fructum gratum Musica grata dabit.*

CHRISTIANUS CNORRIUS,
Raudensis Sil.

---

VUlnerat omnipotens, sed vulnera sanat & idem;
Qvos Deus exanimat, vivificare potest.
Id Dominus Cantor percepit & ipse, marita
E thalamo in tumulum cui citò rapta fuit.
Sol verò radios veluti post nubila spargit;
Sic fore, nunc cernet, gaudia multa sibi.
VIr sapIens poterIs persVaVes eDere CantVs
IaM: qVIa pro Voto est nVpta VenVsta tIbI.

Petrus Stüvæus, Rüg. Pom.

---

*REx Salomon sapiens inqvit, qvod amabilis Uxor*
*A Dominò detur, dos generosa velut.*

*Et*

*Et tibi* VIR REVERENDE *datur blandissima* CONJUX.
*Ergo te faustum nemo negare potest.*

Johan. Radusche, Rügenvv. P.

---

EVam qvi claram præclaro adjunxit ADAMO,
Adjungit Nympham jam tibi, SPONSE, piam.
Ergò conjugii det Fautor & Autor, ut absit
Turpis ἔρις thalamo; svavis at adsit ἔρως.
Et longos superes annosi Nestoris annos,
Sed post hanc vitam regna suprema colas.

Johannes Edtlevverus, Rüg. Pom.

---

*INnovat Omnipotens rursus tua gaudia, castam*
*Conjugio Nympham dum tibi,* SPONSE, *jugat.*
*Hâc cum qvò vivas concors per tempora multa,*
*Et videas lecti pignora grata, precor.*

Joachimus Köhne/ Rügenvv. P.

---

Fœdera conjugii nuper, Præceptor amande,
Pacta, hodiè firmas per sacra connubia;
Atq; tibi sociam jungis feliciter ANNAM,
Qvæ prudens, nec non virgo modesta, pia.
Gratulor, & precor, hoc opus ut benè cunctaq; cedant,
Utq; Deus thalamum prole, salute beet.

Bernhardus Heinr. Groneman,
Gryphisw. Pom.

---

*ALtera Conjugii jacitur nunc alea: faustus*
*Hic qvoq; sit jactus, det DEUS omnipotens.*

Christianus Groneman, Anclam. P.

Est

EST pius is semper, justus, sanctusq; putandus,
Qvi Domini mandata facit, modò mente lubente.
Talis & est meritò Præceptor noster habendus,
Auspice qvando Deo socii pia fœdera lecti
Jam repetit. Qvod ut eveniat FELICITER, opto.

Elias Kremzo, Stet. Pom.

---

*PRæceptor venerande, tibi jam ducitur Uxor*
*Altera, Kielmanni sangvine nata bono.*
*Gratulor inde tibi, Dominum precibusq; fatigo,*
*Illa secunda diu sit maneatq; tibi.*

Elias Bescovius, Zyllich. Sil.

---

SIc est! exoritur post tristia nubila Phœbus,
Phœbus pro luctu gaudia mille ferens.
Gaudia tristitiam excipiunt, luctumq; voluptas
Excipit, atq; leves tristia fata joci.
Hoc vir clare probas: tua tristia fata cachinni
Excipiunt, nova jam qvos tibi nupta parat.
Virgo suum virtute genus manesq; parentis
Ornans, virginei stella corusca chori.
Macte hac fortuna! cœlum tua cœpta secundet,
Et videant vestri jurgia nulla lares.

Martinus ab Hefern, Oldenb. Fris.

---

*FElices estote, torus sit fertilis, annos*
*Conjugibus vobis addat JOVA novos.*

Joachimus Tabbert, Treptoâ P.

---

COnjugium dulce opto tibi de pectore puro,
Cum celebras thalami gaudia læta tui.

JOHANNES HAKE, Cam. Pom.

Te

*TE, pie Sponse, DEI benedictio larga coronet,*
*Ut sobolem videas, & bona qvæq; DEI.*

Paulus Halbritter, Colb. Pom.

HActenus anxietas presſit tibi plurima pectus,
Qvod ſit paſſa necem, qvæ ſociata tibi.
Aſt nunc Vir venerande, tibi ſunt gaudia rurſus,
Cum ducas Sponſam, qvæ proba, caſta, pia.
Opto ergo tibi jam Neonymphe, ut proſpera fata
Aſpirent cœptis nocte dieq; tuis.

Laurentius WVitte, Cöb. Pom.

*PEctore de toto tibi gratulor, Optime Cantor:*
*Hac tibi namq; die Virgo venuſta datur.*

JOHANNES Zimmerman/ Sed. Pom.

OPtatam tandem lucem produxit ab axe,
Qvi mare, qvi terram condidit, atq; polum,
Qvâ NEONYMPHE tori ſocialia fœdera pangis.
Adſpirent votis fata ſecunda tuis!
Fiat, Mygdonii ſuperes Pyliiq; ſenectam,
Et vigeat multa proſperitate domus.

Johannes Neuman, Sedin. Pom.

*JUngitur ecce tibi, KÜETZI, ſpecioſa puella,*
*ANNA, pudica ſatis: jungitur ipſa Venus!*
*Plaude Vir hac SPONSA, hoc SPONSO tu SPONSAq; (plaude,*
*Delectare fruens gaudio uterq; diu.*
*Gratulor: & Pylios ambobus comprecor annos,*
*Ac voveo veſtro proſpera mille toro.*

Fridericus Schermer/ Penc. P.

DUm, Kuezi venerande, tibi nova ducitur uxor,
Ex voto cedant hæc pia cœpta, precor,
Vivite felices concordi pectore juncti,
Nullaq; conjugii gaudia turbet Eris.

JOHANNES Schütze/ Sed. Pom.

---

KUETZIUS *instaurat rursus dispendia lecti,*
*Impiger atq; subit vincla marita tori.*
*Annuat ætherea summus de sede Monarcha,*
*Et pia felici cœpta secundet ave;*
*Scilicet ut seros cum conjuge vivat in annos,*
*Atq; ædes repleat prole decente suas.*

*ULRICUS CRUSIUS, Gültz. Pom.*

---

ALtera jam Conjux fatô Tibi redditur: illi,
Et tibi, Præceptor, prospera corde precor.
Prospera corde precor: seros vivatis ut annos,
Exulet â vestrô lis qvoq; iniqva torô.

JOACHIMO GRAMZO, Neogard. Pom.

---

O *Nimium felix, ô terq; qvaterq; beatus,*
*Conjuge qvi castâ præditus atq; piâ!*
*Namq; hæc divitiis longè est præstantior, auro*
*Pulchrior, & nitidâ jaspide nobilior.*
*Qvare te meritò felicem prædico, SPONSE,*
*Tale cui munus jam DEUS ipse dedit.*
*Munus habes, Regum gemmas qvod vincit, & aurum,*
*Et qvicqvid rubri volvit arena maris.*
*Hinc precor ipse: tuis faveat concordia votis,*
*Mella fluant thalamo, lacq;, merumq;, tuo.*

DAVID REGAST, Palæo-Stet. Pom.

DUm celebras tædas, oculisſime Sponſe, ſecundas,
Et ruit ingremium, Sponſa venuſta, tuum:
Hoc promo votum: concordes vivite longo
Tempore, & in Domino fætificate torum!

ANTONIUS Fuchs/ Sed. Pom.

---

*SPonſe, tuis tædis adſit benedictio Jovæ,*
*Gratia, pax & amor: ſic precor usq; tibi.*

Ertman Tesler, Sed. Pom.

---

DUm nova, Præceptor charisſime, fœdera pangis,
Opto, ſit ut conſtans pactio, amorq; novus.

*Ertmannus Lindeman, Sed. Pom.*

---

*GRatulor ex animo tibi, dilectisſime FAUTOR,*
*Dum rurſus thalami fœdera ſancta ſubis,*
*Quæ nectis pulchrâ cum Virgine cumq; pudicâ.*
*Fauſtus & hic vobis nexus utrisq; ſiet.*
*Hæc vobis voveo ex cordis penetralibus imis,*
*Apprecor & vitæ licia longa ſimul.*

Chriſtianus Pantzenhagen, Sed. Pom.

---

NUnc ardet mea mens paucos depromere verſus,
Dum DEus hunc lætum miſit ab axe diem,
Quô Vir inſignis, Muſarum gloria magna,
Sacrati thalami vincla ſubire parat:
Quare & ego meritò tibi nunc, doctisſime Cantor,
Sit, ſummo à Jova, paxq; ſalusq;, precor.

Chriſtianus Grünenberg, Sed. Pom.

---

*JAm prodi mi Sponſe: tibi, tibi, contigit uxor.*
*Perpetuò ſervet vos in amore Deus.*

Petrus Flato, Sedin. Pom.

Vos

VOs ut Fata diu servent, & prole secundent,
Ad summum Numen vota manusq; levo.

*Dietericus* Holtz / *Stet. Pom.*

---

*UT lachrymis omnes explebant pectora qvondam,*
*Cum prior occideret Chara marita tua:*
*Sic nunc cum recipis thalamo, Vir Clare, secundam,*
*Applaudant mecum pectore & ore tibi.*

Gothofredus Merten, Starg. Pom.

---

OMnipotens, æterne Deus, qvi cuncta gubernas,
Cantoris rogito cœpta beare velis.

*Andreas Friderich, Sed. Pom.*

---

VIvas Præceptor, longos cum conjuge in annos,
Exopto, & repleas prole virente domum.

*Fridericus Holtzius, Julin. Pom.*

---

*O utinam Sponso maneat fortuna secunda,*
*Floreat ut multa prole, bonisq; domus!*

Michael Gereke, Goln. Pom.

---

EN rursus Neonymphe, tibi jam contigit uxor,
Qvæ studiosa Dei, qvæ studiosa tui.
Gratulor ex animo præsentia fata, precorq;
Eveniant votis prospera cuncta tuis.

*Christianus Tömeke, Gryphenb. Pom.*

